



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

EXERCITIA || SPIRITVALIA || IGNATII DE || Loyola.||

Ignacio <de Loyola>

Mogvntiae, 1600

VD16 I 56

Examinis generalis modus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45165

cedi atque promulgari solita: per que ad confessionem peccatorum, & Eucharistiæ sanctæ sumptionem, CHRISTI fideles inuitantur. Peccat siquidem non leuiter, quicumque tam pias Rectorum Ecclesiæ cohortationes, sanctionesque aspernari audeat, ac transgredi.

*EXAMINIS GENERALIS
modus: particulas seu puncta quin-
que complectentis.*

PRIMUM punctum est, Domino nostro DEO, pro beneficiis acceptis, gratias agendas esse.

Secundum; quòd debemus pro cognitione, & expulsionem peccatorum gratiam flagitare.

Tertium, de admissis præsentis die peccatis, rationem ab anima nostra exigere; per horas singulas, ex quo surreximus, vestigando. Et primò

qui-

quidem circa cogitationem; deinde circa loquelam, atque operationem; eodem ordine, quo in particulari examine traditum est.

Quartum; poscere veniam de delictis.

Quintum; proponere cum DEI gratia emendationem; & orationem dominicam post dicta omnia recitare. Pater noster.

CONFESSIONIS GENERALIS, & communionis usus.

EX Confessione generali ultro facta, inter alia pleraque, percipiuntur tria hæc emolumenta. Primum: quod tametsi, qui annis singulis saltem confitetur semel, ad generalem huiusmodi confessionem minimè obligetur; eam tamen facienti ipsi multo plus commodi, & meriti accedit, ob dolorē scilicet de peccatis, &

malitia